



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1838

XV. Des Markgrafen Jobst Schenkung des Patronats in den Städten Kyritz und Perleberg an das Domstift v. J. 1409.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54294)

tui beneficij assignarunt, ipsumque arnoldum nobis ad idem altare presentarunt, quociens ipsum vacare contigerit voluerunt & ordinarunt in perpetuum alternis vicibus ad prepositum ecclesie nostre haelbergensis et consules ac magistros fraternitatis seu societatis gulde pannicidarum ciuitatis haelbergensis debere pertinere. Si autem prepositus haelbergensis qui pro tempore fuerit suis vicibus sine requisicione consilij & consensus consulum et econtra consules ciuitatis haelberg: eciam suis vicibus soli et in solidum sine requisicione consilij et consensus prepositi haelbergensis ad dictum altare quando ipsum vacare contingerit libere presentare debeant clericum secularem & non professum seu regularem et si consules opidi stendal dictos quatuor marcarum redditus reemerent, prout possunt ex forma contractus, extunc consules ciuitatis haelberg, taliter ordinare debent, vt altarista dicti altaris suis redditibus nullo tempore careat et ut pecunia sic reempta pro quatuor marcarum redditibus comparandis iusto empconis titulo exponatur. Nos igitur omnia & singula et prescriptam dotis assignacionem & iuris presentandi grata & et rata habemus et ex auctoritate nostra ordinaria confirmamus per presentes, statuentes ut altarista altaris prefati serualis existere debeat plebano in haelberg quemadmodum alij altariste ecclesie consueuerunt et deinceps antedicto altari personaliter nisi legitimo impedimento fuerit impeditus deseruiat secundum canonum sanctiones
In cuius rei testimonium presentes nostras literas sigilli appensione iussimus communiri. Datum Wistok anno dom. M^o trecentesimo et nonagesimo septimo die vrbani nostro vt premissum est sub sigillo.

Nach dem stark verletzten und des Siegels ermangelnden Original.

XV. Des Markgrafen Jobst Schenkung des Patronats in den Städten Kyritz und Perleberg an das Domstift v. J. 1409.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Jodocus dei gracia marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperij archicamerarius et Marchio Moraue. Diuine bonitatis elementia, que nos ad culmen terrene dignitatis euexit, ad hoc nobis pre ceteris principatum et potestatem contulit, ut nedum curam populorum nobis subjectorum sed et maxime sacerdotum cristi, quorum oracionibus et terrena nos credimus felicitate per amplius gaudere et eternam beatitudinem posse facilius promereri, congrua dispensatione adhibeamus. Quequidem nos sollicita consideratione penfantes dignum estimamus et salutiferum iudicamus, ecclesias dei presertim eas, que ab iniquis hominibus opprimuntur sub nostro tuicionis munimine defendendas suscipere et earum paupertati qua decet munificencia subuenire. Proinde ad vniuersorum cristi fidelium noticiam deducimus per presentes, quod nos pro amore dei nostreque anime ac parentum nostrorum remedio ecclesiam Haelbergensem in honore gloriose dei genitricis semperque uirginis marie a pie memorie Ottone magno Imperatore fundatam et postea gentilium errore et incurso ac demum nefandissimorum quorundam hominum nomen cristi inaniter gerencium rapinis incendiis aliisque bonorum & iurium dicte ecclesie direpcionibus, occupacionibus, et persecucionibus grauibus nimis desolatam, Ex quibus eciam ministrorum pro nostra & tocius populi catholici felicitate ad deum iugiter sollicitis uocibus clamancium sustentacio debita subtrahitur, diuinus cultus, quem profecto temporibus nostris augeri appetimus, diminuitur, Et religionis dissolucio satis prope imminet et timenda est, in nostram tuicionem speciali defensione una cum venerabilibus et religiosis uiris Preposito & canonicis eiusdem ecclesie suscepimus ipsamque sic in bonis suis collapsam et pene deuastatam nouis quibusdam beneficiis decreuimus subleuare. Eidem igitur ecclesie et preposito et capitulo antedictis in melioracionem suarum prebendarum ac donacione irrefragibili et perpetua ob amorem dei ad laudem et gloriam sancte dei

genitricis virginis damus & concedimus jus patronatus ecclesiarum parochialium in opidis nostris kiritz et perleberghe, hanelbergensis diocesis, cum omnibus et singulis juribus suis et attinenciis ad nos quouismodo spectantibus in ecclesiis antedictis, resignantes eisdem per presentis littere tradicionem omne jus, quod occasione predicti juris patronatus ac alias quouismodo in eis et earum occasione habuimus & habere poteramus, desiderantes eciam affectanter et volentes, quatenus ipsi pietatis nostre beneficiis participant sic et nobis iuxta dei beneplacitum de medio sublatis nostri predecessorum et omnium parentum nostrorum in ecclesia Hanelbergensi singulis annis temporibus perpetuis in quibuslibet quatuor temporibus memorias sollempnes in vigiliis, missis et oracionibus peragant, et in ecclesiis parochialibus supradictis per earem rectores et clericos peragi procurent effectiue. Preterea ecclesie antedictae et canonicis eius omnes libertates et immunitates eisdem ab antecessoribus nostris Marchionibus Brandenburgensibus concessas omnesque possessiones & bona quecunque, que in nostris dominis iuste et canonice possident, confirmamus: et ut hec rata & inconvulsa omni tempore permaneant, ad presentem nostram litteram sigillum nostrum iussimus appendi. Datum in Tangermunde anno domini millesimo quadringentesimo nono, in vigilia assumptionis beate marie virginis gloriose.

Nach einem Transsumt v. J. 1413.

XVI. Bestätigung der vorigen Urkunde durch Bischof Otto von Havelberg und Schilderung des traurigen Zustandes, worin die Prignitz durch Fehden und Straßenraub verfehrt sey v. J. 1409.

Otto dei gracia hanelbergensis ecclesie episcopus omnibus cristi fidelibus in perpetuum. Etsi suscepti pontificalis officii debitum nos sollicitet, ut indigentium quorumlibet necessitatibus prout nobis ab altissimo concessum est pietatis opera exhibere debeamus, illos tamen, qui nostris sollicitudinibus, laboribus et periculis plus aliis communicant, nos decet vberiori gracia prosequi caritatis viscera benignius aperire. Ea propter circa deuotos sancte religionis professores nostre ecclesie canonicos, qui quasi acies spiritualiter ordinata deo die ac nocte militant precipue vigilare decreuimus. Et quia seuiissima hostilitatis gwerrarum et latrociniorum a longo retroacto tempore in diocesi nostra plus ceteris partibus continuata dispendia agricultores et colonos parciales eorundem canonicorum nostrorum alios gladio intreptos decedere alios direptis eorum bonis et incendiis deuastatis nudos et inopes sua deserere, nonnullos, eciam mutilatos duris vinculis in captiuitate detentos & tandem exactionatos in egestate mortali uiuere coegerunt, agri ipsorum, in quibus pro maiori parte redditus eorum consistunt, inculti remanent et deserti, sicque redditus ipsi adeo exiles et tenues effecti sunt, quod ex eis, deductis oneribus eisdem iuxta eorum decenciam et reuerenciam incumbentibus, non ualeant commode sustentari. Volentes igitur dicte nostre ecclesie canonicos de alicuius subuencionis remedio prouidere, habito prius super hoc cum nonnullis prelati et de clero nostre diocesis ydoneoribus personis sepe repetito tractatu, quia premissa omnia & singula vera esse repperimus, Atendentes etiam quod predictae guerre et latrocinia in dicta nostra diocesi de die in diem crescunt et augentur, ne dictos religiosos canonicos nostros uictum suum in labore querere et per deuia hinc inde uagari oporteat, et ne dicta ecclesia nostra ministris debitis destituatur diuinusque cultus minuatur in eadem, Accedente ad hoc consensu et voluntate magnifici principis et domini Jodoci marchionis Brandenburgensis, qui eisdem jus patronatus ecclesiarum parochialium in kiritz et perleberch nostre diocesis cum omnibus et singulis juribus et pertinenciis ad ipsum occasione dicti juris et alias quouismodo spectantibus ac ecclesias ipsas